

184962



P. Floriano. Innocentius
Simonchiz. p. m. 10 Junii
1792

Taxe.

5007

OSZEK

Belgrado

3

Laudone suis reddito

die 8. Octob. 1789.

Lusus Poeticus

plaudente

Gymnasio Regio Temesiensi

schol. Piar.



184962





Landon! Te fospite fas est
Vexatum laceri corpus juvenescere regni,
Sub tot Principibus, quaecunque amissimus olim,
Tu reddis. Solo poterit Landone medente,
Crescere, Pannonium vulnus tectura cicatrix.
Inque suos tandem fines redeunte colono
Illiricis iterum ditabitur aula tributis.

Claud. in Stil. l. 2.

Dilberga Temesiae sorori queritur.
Quam capis, a lacera venit Tibi scheda sorore,
Nostra proin dici litera scheda nequit.
Longa dies, quae nos multis disjunctis ab annis,
Atque truces gremio jussit habere viros,
Eripuit mihi me, nec noto nomine persto,
Nec decus O! Soror! est vultus, ut ante mihi.
Ille

Ille dies, qui me divulgavit ab æde paterna
Et toties iterum reddidit æde Patrum.
Quod toties cecidi, toties relevata perivi, (a)
Debuit enasci sole cadente dies,
Nam quoties cecidi Lunæ splendore regebar,
Ergo dies Solis nox mihi vester erat.
Quod cecidi, haud mirum, Lunæ variatur imago.
Non fuerant casus hi mea culpa Soror.
Ut Iuno in Trojam, pro Troja stabat Apollo,
Sic jam Mars, jam me Luna tenere cupit.
Martis nonne fumus proles, tulit Hunnus utramque,
Hungare constrictus compede solve pedes.
Ergo ego Sola liger? inter tot serva Sorores,
Libera Dubicza fit, Novi, Gradiska, Szabats?
Ergo ego, quod senior, vel quod sim fortior ipsis,
Impetor horrendis hoc magis usque plagis.
Ille caput quassat, cupit hic cruciari lacertos,
Hic fodiant oculos, ense cruentor ibi.
Tantus amor nostri, nec vulnere vincere curant.
Nec sua nec reputant vulnera nostra proci.
Perdar, dummodo sim domui devicta paternæ
Oscula dent captæ sanguinolenta mihi.
Parcite jam tandem ferro igne laceffere membra,
Parcite fulminibus viscera nostra peti.
Si peream, saltem quis vos complexa salutem,
Possideant proprium brachia nostra locam,
Hæc ego confecta, et jamjam moritura gemebam.
Hæc tumulo inssi scribere verba meo.
*Hic Belgrad jaceo, quem longo Europa labore
Effecit tandem, possit ut esse cinis. (b)*

Tu quoque sic fueras vexata Temesia quondam
Dum civis te vult ad sua jura tuus. (c)
Nunc reparata manes, et forti cincta corona
Libertate viges, dum mea tecta tremunt.
Heu me quanta tuum latus undique vulnera sensit
Siquando tibi trux hostis amicus erat. (c)
Heu! me quanta tuli, patriis cum sedibus hæsi,
Horruit ad nostas patria tota plagas.

*

*

*

In Spem erigitur ex nomine Ducis.

Ille meos (sic fata canunt) servaverit artus,
Atque æternum nos ille tenere potest,
Cujus vis, nomen, cogat subscribere Lunam, his:
Donula Belgradi do Tibi Luna mei (d)
Est aliquid magni conclusum nomine magno
Semper, ut in dubio sacra latent dubia.
Hannibal ad portas equidem, jam constitit istas.
Unde rapi poteram, vis fuit, omen abest.
Scilicet omen abest: vi fati nomine clausum,
Illa duo Lunam vincere: sola queant.
At postquam Laudon ingens virtute movetur,
Et validus nostras, moenia cingit, opes
Affluit Austriacis nobis Danubius oris.
Atque finit placitas sternere ponte vias.
Cæsaris unda, viros non ferre, referre recusat,
Ac sua jam Sociis, moenia lambit aquis.
Undique capta premor. *Propius contendite cives*
Clamo: *minora suis sunt mea tecta viris.*

Hun-

Hunnicus insequitur clamor super æquore campi,
Omnis avet nostris basia ferre genis.

O! Soror, en dextram, jam porrige tuta sinistrant.
Hostibus acclamant eripiere tuis.

Hic, ubi Luna videt, invictas vincere sedes
Laudonem, coelo fit manifesta diu

Inconsulta stupens robur Laudonis, eidem
Propitiam tenebris lumine spargit opem.

Fata vocant Magnum Laudonem ad donula Lunæ
Donula sunt, vastæ sint licet arcis opes.

Scilicet, ut multum est vilis denarius Iro.
Donula sunt, etiam millia multa Dæ.

Vicisti Laudon! virtute, et nomine: quare
Quæ Fers in titulo donula Laudon habe.

Vicisti Laudon! cogis subscribere Lunam.
Donula Belgradi do Tibi Luna: cape.

*

*

*

Victa, gratulatur

Porta patet: Salvete viri! salvete phalanges,
Exi de gremio Turca cruenta meo. (e)

Iam me Laudon habet, jam Magno vivo Iosepho.
Iam Francisce tua posteritate fruar.

Nam tuus ictus erat primus, certique petitor
Vulneris, is iustus terruit arce viros. (f)

Auguror hinc: in Te patriæ promittitur ingens
Dextra rudimentis. Nonne Iosephus erit?

Iam vires redeunt, concludit vulnera Laudon,
Ut Domino placeam vestior arte nova.

Iam

Jam latus in nostris pergit firmare ruinis,
 Quæ struit æternos sunt habitura dies.
 Turcica jam Lunæ muris radatur imago.
 Mars vicit Lunam, Marte trahente ruat.
 Bicipites aquilæ, loca jam cornuta sequantur.
 Festa Iovis colimus, sit decus ejus avi. (g)
 Octavum, Tu porta diem, mensemque parilem
 Serva, sitque suis annus utrinque locis.
 Diruta: si nova sim per te renovanda Iosepho,
 Tolle vetus pariter, quod mihi nomen erat.
 Si muri, cives, si sunt mea regna novata,
 Et veteri tamen est, vis mea tuta loco,
 Nomine mutato, si vis *Dilberga* vocabor
 Hunc titulum posthac scribe Temesa mihi.
 Ut, quæ sum Hungarica patriæ revocata per arma,
 Felix Austriaco nomine serva vocer.
 Nesciat ex forma Belgradum noscere Turca.
 Hoc nisi per partes dividat ante suas.
 Nec sciat an *Beligrad* fuerint mea nomina quondam
 In Beligrad lateant nomina nostra licet. (h)
 Sta Soror immobilis dum cingitur Orszova nobis,
 Dumque meo curor vulnere, tua vigila.
 Viribus adde meis inimico tela timenda
 Ut reliquas etiam possideamus opes.
 Sæpius in cautae nocuit victoria turbæ,
 Tu cave, ne felix hostibus ulta cadam.
 Ergo Soror gaude nostræ cautissima sorti,
 Tota fit in Magno mens tua fixa Soro (i)
 Sittuus hic Laudon, nec fidito viribus ante,
 Quam fortem, aut lætam, te voluisse volet.

Tertia, quando Soror Orfova noſtra revertet.

Et triplex circum peccora robur erit. (k)

Tunc, ſi fata ſinant, unum faciemus utrumque

Imperium, ut redeat, quæ fuit ante domus.

Sin minus? accendat noſtros ea cura Nepotes.

Sat fuit hæc duram ſternere poſſe viam.

Hæc Dilberga dabam Belgradi. Libera tandem,

Ut velis, ad curas evigilare meas.

*

*

*

Obſidione ſolutus

Pannonius, poterque ſavi, quod clauſa tot annis

Oppida laxatis auſus jam pandere portis,

Rurfus cote novat, nigras rubigine falces,

Exeſosque ſitu cogit ſplendere ligones,

Agnoscitque caſas, et collibus oſcula notis

Figit, et impreſſo glebis jam credit aratro,

Exſectis inculta dabant, quas ſecula ſylvis

Reſtituet terras, et opacum viribus Iſtrum

Conferet, et patrium veſtigal ſolvere quæret.

Claudianus.

Cecinit P. Innocentius
Simontſits e. S. P.

Scholia.

a) Belgradum Turcis Bogjurta dictum primum a Salamone R. Hungariæ victis Græcis occupatum postquam horrendas clades subivisset anno 1521 proditione Turcis cessit; receptum dein virtute electoris Bavari 1688, iterum 1690. 8. Oct. perditum, iterum ab Eugenio P. S. 1717. 29. Aug. recuperatum est. Denique cum 1739. Turca succubuisset, tandem post 50 annos, a Magno Laudone anno hoc 1789. 8. Oct. juri Hungariæ Regis redditum est Pro quo solennes Deo gratiæ 25. Oct. Temesvarini.

b) Inter Heroes Europæ ad Belgradum Hungariæ reddendum, Princeps Croy vires Hunnico sanguini pares, quasi pro Patriæ suæ aris, et focus admovit, cum an. 1693. 7. Sept. adeo pertinaciter illud expugnare aggressus est, ut Vezirius Brassovium jam jam occupaturus, ut Belgrado opituletur viam mutare sit coactus, cujus adventu præsidium quidem obsidione solutum est, sed Transylvania etiam in tuto posita. Vide. Magyar Kurir ad an. 1790 p. 23. Qua virtute non quasi pro aris, et focus, sed antiqua Matre sua Princeps Croy debellavit. Certe enim illustrem hanc in Gallia familiam, a vetusta Regum Hungariæ stirpe originem trahere, si non armorum pars, fascias in rubro campo juxta Hübnereum referens, probat, cum harum imaginem sub Carolo Rob. R. H. duplicate cruci adjectam esse constat ex Heraldica, et Numismatica Hung; at profecto ex Diplomate Maximiliani I. Imp. quo ad Principatum evehitur manifestum est; cujus exordium Cl. Andr. Dugonits e s. P. Doctor Marh. in Univ. Hung. his prodit in Etelka. Tom I. p. 51. Nobili Carolo Comiti de Chimai ex illustribus de Croy

Croy, descendantibus ex vera, et legitima progenie, seu origine Regum Hungariæ Nostro et Imperii sacri dilecto gratiam Regiam, et omne bonum. Et quidem originem principum Croy sic describit *Allgemeines Historisches Lexicon*. Edit. Lyps. 1722. Stephanus Belæ Coeci R. H. filius, a Fratris sui Geyzæ II filio Stephano 1173 victus, et ex Hungaria ejectus, ad Galliæ R. Ludovicum juniorem confugit, hujus porro filius Marcus postquam Catharinam unicam hæredem Hugonis Domini Araynes, et Croy duxisset, tam aperta Hunnica virtutis exempla in posteris reliquit, ut septem seculis extra patriam floreret. Frustra ergo doluerunt Majores nostri stirpem Arpadianam in Andrea III defecisse. Imo vero primus ex Arpad 1486. non vero Emericus ex Peréniis 1517. 27. Sept. uti Eruditi vien. ad an. 1773 p. 364. prodiderunt, inter S. R. I. Principes relatus est Hungarus. Fas esse mihi puto hoc loco aliquid interessati quidem, attamen verum adjungere. Nempe Seculo 17. ex familia Croy Iacobus duxit in Hispania hæredem de Carillo, et Peralta, ex eaque suscepit Iacobum de Peralta, Marchionem de Falces in Navarra. Hinc quoniam e Calasantiorum de Peralta (quos a Gothis Regibus Navarræ, et Aragoniæ de Peraltas oriundos Arbor Genealogica Romæ edita docet) adhuc uno ramo supersiste, natus sit ex Maria Carillo nepte Sicilæ Pro regis Iosephus 1750. cujus patruelis Petrus Comes Laing, avitum prædicatum de Castro Calazans ad huc retinet. Vehementer lætor, Calasantianam gentem, aliquo affinitatis nomine conjungio cum stirpe Arpad. Non vacat diutius rei quidem memoratu dignæ sed non suo loco immorari. Alioquin de gente principum Croy et Cl. Koch Bibliothecarius Argentorat: et Cl. Koppi e S. P. Prof. Hist. Univ. Hung. Commentarium, qui quidem jam censuram subiisse dicitur, luci daturus est.

c) Temesvár 1552 post dierum 30 obsidionem a Solimanno I. victum 4000 caesis, Stephano vero Losonczy Comite Temesiensi (quorum Biographiam meditamus) Constantinopoli decollato. Tandem 1716 ab Eugenio Sabaud. 12. Oct. injectis 3780 bombis receptum, posito Comendante strenuo Heroe C. Vallis. Cl. Róka Kriegs, und Friedensgeschichte te Ofen 1785. p. 381.

d) Ex Laudon, anagramma, I. Donula. II. Do Luna.

e) Monitus sum amice a C. Steph. Szüts Profess. Collega rerum patriarum studiosissimo viro, ne ita cruentos Turcas dicerem, quasi illi ab omni humanitate alieni essent, cum recentibus exemplis doceamur, iusti et recti esse tenaces, Religionis vero Christianæ etiam vindices fuisse tum, quum Hungariæ dominabantur id quod singulari illo edicto, quod lingua Hungarica Acmed Olay Bég Simon-tornensis Bassa 1669 promulgavit, probatur. Ego vero, Amice, cum cruentos ajo, sanguine hostili resperfos intelligo; petens: ne aegre feras, si hujus monumenti aliquam partem hic subjecero, ut appareat, sæpe christianos inhonestius de sacris suis loqui, quam Turcas cogitare. Sic vero est §. XII. Ha az Ászonyok egy mást meg kurvazzák, szidalmaz-zák, egy mást gyalázzák, Férfinak tisztes séget nem tesznek, előttök fel nem kelnek, vagy nekik tiszteletlenül szólnak, e féle tselekedetekért, a pe-lengérbe meg veretteffenek. XIII Ha valaki meg átolkodik a gonoszféghban, a templomba nem jár, sem prédikátzio halgatására, sem hétedszaki könyör-gésekre, és a ki a szent Sakramentommal nem ély, akár fárfiu, akár Ászony, és akár mi renden légyen, a Predikátor, és még az Istenes hi vek is az olly emberre szorgalmatosan rea vigyézzanak, és olly-annak

annak a Tanétó semmiben ne szolgállyon, és főt ha meg hal, az ollyan halálának emlékezetére ne harangozzanak, a köffég közül senki feléje ne miennyen se firató, se koporsó tfináló, se firáfó, hanem temesse el a maga háza népe, a mint tudja, de nem a közönféges temető helyben, hanem egyéb magányos helyen, és még pedig távúl a temető helytül. &c. Sipienti pauca.

f) Sereniss. Frinciscus primus tormentum exploit contra Belgradum, cum Acclamatione: Vivat, Laudon!

g) In diem Iovis incidit 8. Oct. Aquila autem Iovi sacra, bene ergo ad initium hujus belli quidam cecinit:

Cum simul Osmani Lunam transire parabant
Iupiter Austriacus, Russicaque alma Venus.
migret in europa fatalis gloria lunæ
splendet ibi melior iupiter atque venus.

et revera die Iovi, et Veneri sacro plene subditum est Belgradum.

h) An Belgrad Taurunum fuerit, non sine causa dubitat Timon in Imag Hung. sed Beligrad dictum fuisse scripta probant, atque hinc est anagramma Dilberga.

i) Excell. Comes Soro præsidii Comendans
Alter

Fabius cauta speculator mente futuri,
Et melior clauso bellum producere ferro.

Silv. 1. 1. Punic.


Plura hic heroica adducenda essent. Verum homines
vetos summere odiosum est, (ait Cic. pro Roscio Ame-
rino

rino) cum et illud incertum sit, velint ne hi se se nomi-
nari.

k) Orsova olim Colonia Romanorum, dicta Vi-
minacium, inducta a Gordiano a. u. 993. Fortiter
resistit a. c. 430. Orbis Terrori Atilæ. Chaganum
vero postquam multis vicibus debelasset, tandem in
lacu Temesiensis Banatus multa millia barbarorum
suffocavit. Vide Iordanum de rebus Slavicis ad an.
601. Neque adeo mirum videri debet, exercitui nostro
tanti constare ejus expugnationem. Possideo Num-
mum Viminacii cusi seculo III. de quo differendi
occasionem habeo Orsova capta.



OSZK



OSZK

